



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Chiemsee Monasterium Ordinis S. Avgvstini Canonicorvm Regvlarivm
Herrn werd/ olim in der Aw oder Pfaffen werd.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13578

- III. Neapoli confirmavit primo Pontificatus sui anno IX. Kal. Ian: Dicitur Eberhardus eiusdem Episcopatus electionem sibi & suis successoribus reservavit: & primum Episcopum fecit: presuit annos 15.
- I. RVDIGERVM de Radeck postea Pataviensem huic loco Chymen: praesuit annos 10.
- II. ALBERTVS prius Saltzburgen: Praepositus, in Capitulo sepultus, rexit annos 22.
- III. Fr. HENRICVS de ordine Praedicatorum in Raittenhaslach sepultus, praesuit an. 22.
- IV. Fr. HENRICVS de ordine F. Minorum, rexit annos 9.
- V. IOHANNES postmodum Gurcensis effectus; praesuit in Monasterio Chymen an. 4.
- VI. CHVNRADVS dicitur Hintperger Saltzburgae sepultus an. 13.
- VII. FRIDERICVS prius hic Praepositus in Chymicee, dicitur Fronhovver ann. 2.
- VIII. ALBERTVS Saltzburgenfis Canonicus dicitur Fronstorffer, annos 28.
- IX. VLRICVS de Montpreis Can: Salisb: in crypta sepultus, an. praesuit 2.
- X. CONRADVS de Liechtenstein prius Praepositus Soli en. ob Saltzburg, rexit an. 17.
- XI. GERHOCHVS de Waldeck prius Decanus Saltzbur. Romae confirmatur, an. 4.
- XII. HVGO de Scherffenberg, prius Can. Saltzburgen: rexit confirmatus an. 1.
- XIII. LVDWICVS Kattckouer, Canonicus & plebanus Saltzburgenfis, an. 1.
- XIV. FRIDERICVS quondam plebanus in Celle prius Notarius Conradi de Liechtstain & ut alius Catalogus habet Domini Ortolfi Archiepiscopi, an. 27.
- XV. GEORGIVS de Neuperge, prius Canonicus Saltzburgen, an. 2.
- XVI. EBERHADVS de Perneck Canonicus Saltzburgen, an. 7.
- XVII. ORTOLFVS Talhaimer plebanus in Mienberg in Chymicee sepultus, an. 7.
- XVIII. FRIDERICVS Teys prius fuit Episcopus Lauantinen. in Chymicee sepultus, an. 7.
- XIX. ENELMARVS Kral Decanus Saltzburgen, an. 12.
- XX. IOHANNES Ebfer Canonicus Saltzburgenfis, an. 9.
- XXI. SILVESTER Doctor, prius Decanus Pataviensis, an. 14.
- XXII. VLRICVS Planckenfelfer prius Canonicus Saltzburgenfis ann. 14.
- XXIII. BERNHARDVS Decretorum Doctor Canonicus Frisacensis, qui prius fuit trium Archiepiscoporum Cancellarius.
- XXIV. GEORGIVS Altausler Decretorum Doctor, Praepositus in Traberg, Cancellarius Salisburgen.
- XXV. GEORGIVS Ebmer Decret. Doctor fuit prius Praepositus ad S. Zenonem.
- XXVI. CHRISTOPHORVS Mandel Decret. Doctor, & Cancellarius Salisburgenfis.
- XXVII. BERTHOLDVS Burschtinger IV. Licent.
- XXVIII. SEBASTIANVS, Cattaneus SS Theol. Doctor.
- XXIX. EHRNFRIDVS a Chienburg Canonicus Salisburgen.
- XXX. NICOLAUS a Wolckenstain, Canonicus Salisburgen.

et Gebhardus.

et Pular.

CHIEMSEE MONASTERIUM ORDINIS
S. AVGVSTINI CANONICORVM REGVLARIVM

Herrn werd solim in der Aw oder Psaffen werd.

DE huius Monasterij fundatione scribit Auent. & adfert Arnolphi diploma, quod iste Arnolphus Rex hoc Monasterium, vel Abbatiam sancti Saluato-

uato.

uatoris ab Episcopo Metensi, cui ab antiquis Principibus Bauariæ datū erat, pro Abbatia Luxouium dicta, commutauerit, & Archiepiscopo Salisburgenfi Diethmaro tradiderit, vt illic pro anima beatissimi Genitoris sui Karolomañi, suaque annuatim per omne tempus anniuersarij commemoratio in elemosynarum largitate & pauperum cura peragatur, Anno 891. Ratisbonæ, Otto deinde Imperator plenariè tradidit hanc Abbatiam Friderico, Archiepiscopo Salisburgenfi, qui fuit Comes à Kiemgeu, Anno 969.

AVENT, in Annal. fol. 622. ita ponit: In Norico Conradus, Iuuatiæ Episcopus, ex Abenspergenfi familia oriundus, Chiminum Templum olim à Tessalono, secundo Duce Bauariæ D. Benedicto conditum, ab Vgris ad egestatem redactum, Monachis Augustinianis tradit, &c. hoc est, Canonicis regularibus ordinis S. Augustini, Archiepiscopus Eberhardus I. concessit Aduocatiam huius Abbatia Comiti Sybothoni de Neuburg, iuxta Mangsaldum fluuium, Año 1158.

IDEM quoque habuit Aduocatiam aliorum bonorum Ecclesie Salisburgenf. iuxta Chiminum lacum sitorum, iuxta tenorem illarum literarum. Post obitum verò Comit. de Hadmasperg, eiusdem familiae cum Neuburgenf. Eberhardus secundus, Archiepiscopus Salisburgenf. concessit Aduocatiam Ottoni Palatino Rheni, Duci Bauariæ, ea conditione, qua antea Comites prædicti illi vsi sunt, Anno 1244. Et ita hæc Aduocata peruenit ad Duces Bauariæ, iuxta Annales Chiemen. Vide si lubet, Genealogiam horum Comitum, in libro meo Genealogiarum Bauaricarum.

ISTE Eberhardus secundus, familie de Truchsen, Episcopus antea Brixinensis, Pater pauperum, erexit seu instituit tres Episcopatus, Chiemen. Seccouienf. & Laurentinum, hoc tamen sine omni præiudicio Præpositi, & Monasterij Chiemen. anno 18. sui Pontificatus.

PRIMVS Chiemensis Episcopus fuit RVDGERVS.


ARCHIDIACONATVS verò fuit ante Episcopatum, de cuius initio ibi certum nihil reperitur.

BONA præcipua huius Monasterij, per Adrianum Pontificem confirmata, Anno 1157. Eckstett, Brutting, Ruecheringen, Stumb, Saline in Hall, duas curtes in Grassau, cum decimis illius Parochiæ.

ADDITIO N E S.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, *Arnolphus* diuina fauente clementia Rex. Si religiosorum igitur antistitum votis clementer annuimus, eorumque petitiones, quibus pro sibi et commissæ Ecclesie utilitate nostram interpellant clementiam vsque ad effectum perduxerimus, non solum eos ad nostre orationis frequentiam in hoc efficaciores exercemus, verum etiam ad æternæ remunerationis præmia feliciter capessenda id nobis profuturum esse liquido credimus. Quapropter omnibus Sancte Dei Ecclesie fidelibus, præsentibus scilicet & futuris agnitum esse volumus, quomodo *Deotmarus* Venerabilis Sanctæ *Iuuauensis* Ecclesie Archiepiscopus & Archicapellanus noster humiliter excellentiam nostram precatus est, vt quandam Abbatiam, quam ipse in beneficium habuerat, id est monasterium Sancti *Saluatoris* infra lacum qui *Chieminiseo* vocatur, constitutum, quod vulgari vocabulo *Orva* dictum esse constat, ad iam fatam, Diocesis suæ sedem principalem, hoc est Ecclesiam, in honore Sancti *Hrodberti* Confessoris Christi constructam, traderemus. Cuius itaque supplicationem congruam, esse cognoscentes, quia à *Metensi* Ecclesia, ad quam iam, dudum, ab antecessoribus nostris tradita fuerat, per recompensationem, Abbatia *Luxouium* vocata illam exoluimus, suggestionique

eius libenter assensum præbentes decreuimus ita fieri, præscriptamque Abbatiam *Ouaa* vel *Chiemineseo* dictam, cum omni integritate sua, ad sacrosanctum Archiepiscopalem memoratum locum perpetuo consistendam, tradidimus. Hoc præsens auctoritatis nostræ præceptum inde conscribi præcipientes, quatenus eadem crebro dicta Abbatia cum ad eam ritè aspicientibus, tam nostris, quam & futuris voluentis mundi temporibus ad sæpe nuncupatam Ecclesiam pro diuorum antecessorum nostrorum nostraque commemoratione consistat atque pertineat. Eo videlicet rationis tenore, vt idem venerabilis Præsul, qui præsentialiter prælibatæ sedi præesse dignoscitur, successoresque illius deinceps in æuo liberam habeant potestatem, ex vniuersis eiusdem Abbatia rebus veluti de Episcopij sui honore pro utilitate vtriusque loci vniuersa disponere, & illic pro anima beatissimi genitoris nostri *Carlomanni*, nostraque annuatim per omne tempus anniuersarij nostri commemoratio in Eleemosynarum largitate, & pauperum cura cum sacrarum administratione precum omnimodis peragatur. Hæc itaque auctoritas largitionis nostræ, vt firmior certiorque absque vllius dispendio in perpetuum à cunctis fidelibus nostris habeatur, manu nostra subtus eam roborantes annulo nostro iussimus insigniri.


Signum Domini Arnolphi  Inuictissimi Regis,

Aspertus Cancellarius ad vicem *Deotmari* Archicapellani recognoui &c.
 Datæ III. Kal: Iul: Anno Domini DCCCXCI. Indictione VIII. Anno tertio
Arnolphi piissimi Regis. Actum *Reganspurc* in Dei nomine
 feliciter, Amen.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. OTTO diuina fauente clementia Imperator Augustus. Si erga loca diuinis cultibus mancipata, propterea morem DEI in eisdem Domino famulantibus quoddam offerimus beneficij præmium, nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Quocirca nouerit omnium fidelium nostrorum, scilicet præsentium ac futurorū industria, qualiter nos per interuentum ac petitionem *Henrici* Ducis nostrique parentis ad Ecclesiam Sancti *Petri* Principis Apostolorum sanctique *Ruodberti* confessoris sanctæ *Saltzburgensis* Ecclesiæ, cui venerabilis Archiepiscopus *Fridericus* cura pastorali præesse videtur, donauimus atque concessimus vnā Abbatiam, quæ *Chymisse* nuncupatur, cum omnibus suis pertinentiis & adiacentiis, in quibuscunque locis vel comitatibus consistere vel iacere videantur, Ecclesiis, curtibus, ædificiis, seruis & ancillis, cæterisque mancipiis, terris, cultis & incultis, agris, campis, pratis, pascuis, syluis, vineis, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, molendinumque locis, venationibus, viis & inuis, exitibus & redditibus, quæ sitis & inquirendis, mobilibus & immobilibus rebus, omnibus pertinentiis & adiacentiis, quæ dici vel nominari possunt, ad prædictam Abbatiam, quæ *Chymisse* nominatur, ad præfatam Ecclesiam Sancti *Petri* Principis Apostolorum, Sanctique *Ruodberti* Confessoris sanctæ *Saltzburgensis* Ecclesiæ, cui venerabilis Archiepiscopus *Fridericus* cura pastorali præesse videtur, vt iam prædiximus, omnia & ex omnibus in integrum donauimus, eo scilicet tenore, vt præfatus venerabilis Archiepiscopus *Fridericus* eiusque successores, nostris futurisque temporibus prænominatam Abbatiam *Chymisse* cum omnibus suis pertinentiis, & adiacentiis habeant, teneant, firmiterque in perpetuum possideant, atq; in ipsius potesta-

potestate successorumque eius perpetualiter nostra imperiali auctoritate per paginam nostri præcepti donatam atque concessam, permaneat, omnium hominum contradictione remota. Et ut hæc nostræ auctoritatis donatio omni tempore firma stabilisque permaneat, iussimus inde hoc præsens præceptum conscribi, annuloque nostro sigillari. Manu propria subterfignauimus.

Signum Domini *Ottonis*
magni &



Inuictissimi Imperatoris
Augusti.

Luitgerius Cancellarius ad vicem *Hattonis* Archiepiscopi
& Capellani subscripsi.

Date III. Kal. Nouembr. Anno Dominicæ incarnationis D. cccc. lxxviii. Indict. xiii. Anno regni Serenissimi regis *Ottonis* xxxv. Imperij scilicet sui, in Italia viii. Actum in *Tuscania* in loco qui dicitur *Monticolo*, super fluium *Arne*, prope ciuitatem *Luccam*.

NOS EBERHARDVS Dei gratia *Salzburgerensis* Archiepiscopus, Apostolicæ sedis Legatus tenore subscripti Priuilegij dilectis in Christo fratribus Præposito & Capitulo *Chyemensis* Ecclesiæ olim à venerabili prædecessore nostro *Eberhardo* piæ recordationis Archiepiscopo traditi, & vetustate attriti, prætestamur nulla in ipso mutatione facta, non minus eandem diligentes Ecclesiam præsentem paginam innouasse, & auctoritate qua fungimur confirmasse. In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego *Eberhardus* Dei gratia *Salzburgerensis* Archiepiscopus dilecto filio *Vlrico Chyemensi* Præposito, eiusque successoribus in perpetuum. Quoniam in hoc ipsum uocatione diuina positi sumus, ut utilitati & paci Ecclesiarum præsertim nobis commissarum solerter, quantum in nobis est, seruire debeamus, illud prima fronte subtilius prouidere nos conuenit, ut ea, quæ à nobis rationabiliter & benè pro subiectorum utilitate statuuntur, ita literarum monumentis prosequamur, ne quod benè factum est, cuiusquam temeraria in posterum usurpatione possit infringi. Inde est, quod tibi dilecte in Christo fili *Vdalrico Chyemensi* Præposite, tuisque successoribus memoriale per calamum & atramentum edimus, per quod Deo opitulante cunctis retrò generationibus super verbo, unde tecum & cum fratribus tuis, pro vestra nimirum quiete conuenimus, omne contradictionis ambiguum posse confidimus aboleri. Cum enim Aduocacia Ecclesiæ vestræ vacaret, & ad arbitrium nostrum Aduocati substitutio, pro tua quidem & fratrum tuorum petitione penderet: Aduocati loci rogatu vestro Comiti *Sigobotoni de Nuimburck* ea lege concessim, ut remoto omni grauamine, quod Aduocatorum plerique sub nomine Patronatus Ecclesiis heu damnabiliter inferre cõsueuerunt, ipse vobis & vestræ familiæ bonus & fidelis Aduocatus existat, & nec ipse, nec ullus de suis heredibus, qui sibi legitime in Aduocacia succedent, iustitiam hac in pagina subscriptam & confirmatam, suo quoque ipsius assensu probatam, quolibet ausu, qualibet surreptionis astutia præsumat irrumperè. Quæ talis est: in Insula Monasterij Placitum nisi à Præposito & fratribus euocatus nunquam teneat. A singulis monasterij mansis, qui vulgo appellantur Hube, præter modium auenæ, nullo genere exactionis aliquid vnquam accipiat. Placitum vniuersale cum familia Ecclesiæ in anno semel habeat. Et quoniam nos circumiacentia bona nostra eidem Comiti nihilominus tuenda comissimus, expensa Monasterij ad sumptum mensæ Placiti, nimirum ipse sub hac mensura in vnum ex nostra simul & fratrum parte recipiat modium tritici, & dimidium modium siliginis, & dimidium octo

ocho modios de pabulo. Saiomas vini duas, & tres cereuisiæ, vnum porcum faginaturn, vel in redemptione LX. nummos, vnum porcum pascualem, in redemptione XXX. nummos. Octoginta Caseos, octo Anseres, decem & octo pullos Gallinarum. Oua trecenta, & hæc est summa totius impensæ. Possessiones Ecclesiæ in *Stumme* ea conditione tuendas ab omni homine pro suo posside defendendas specialius accepit, vt nullam per se, nullam per nuncios suos de ipsis exactionem faciat, nunquam illuc nisi vocatus à Præposito veniat. Et huius rei gratia Karratam vini à fratribus idem Aduocatus expectet. Bannum sibi de contentionibus & iniustis contractibus, sicut aliis Aduocatis est permissum, nos quoque permitimus, sub ea tamen exceptione, vt quotiescunque mancipia *Chymensis* Ecclesiæ cum his, qui de nostro sunt iure contrahunt, contractus talis nequaquam illicitus, & ad bannum Aduocati pertinens existimetur. Quæ nostræ conuentionis modum, ne vel ipse Comes, vel aliquis legitimus hæres suus transire, iniusta cuiuslibet noui juris exactione præsumat, nos hanc indempaginam conscribi, & sigilli nostri appensione iussimus communiri. Actum Chymsee, Año incarnationis Domini nostri Iesu Christi Millesimo, centesimo, quinquagesimo octauo. Indiæ. VI. Prid. Idus Septembris, regnante Domino *Friderico* glorioso Imperatore Augusto. Anno regni eius sexto. Imperij verò quarto. Pontificatus autem nostri anno duodecimo, Amen.

Concessio Aduocatiæ super rebus Ecclesiæ præfatæ iure feudi Dn. *Otoni* Duci *Bauariæ* ab *Eberhardo* Archiepiscopo *Salisburgensi* Anno Domini M. CC. XLIII.

Nos *Eberhardus* D. g. *Salzburgensis* Archiepiscopus Apostolicæ sedis legatus, hoc scripto patere volumus tam præsentibus quàm futuris, quod ad petitionem & instantiam dilecti & specialis amici nostri *Otonis* Comitis *Palatini Rheni* Illustris Ducis *Bauariæ*. Aduocatiæ nobis vacantem à morte Nobilis Comitis de *Hadmareperge* in bonis Clericorum Insulæ apud *Chymsee* ipsi Duci contulimus iure feudi; ita tamen quod idem Dominus Dux nullam potestatem habeat eandem Aduocatiæ alicui feodaliter conferendi, sed ipsam personaliter debeat retinere, nec etiam occasione eiusdem Aduocatiæ iura alia recipere teneatur, nisi quæ in antiquis priuilegiis præfati Capituli euidentius sunt expressa. Ne igitur in prædictis tempore procedente possit aliquod dubium exoriri, pro euidenti testimonio & cautela hanc scribi iussimus paginam, nostrique Sigilli munimine roborari. Datum huius *Salzburgæ*. Calend. Februarij, Anno Domini M. CC. XLIII. Indiæ. tertia.

NB. EBERHARDVS Dei gratia *Salisburgensis* Archiepiscopus, Apostolicæ sedis legatus, Rudegero venerabili Episcopo in perpetuum. Habetur supra in Bulla Martini Papæ.

ADRIANVS Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filijs Vdalrico præposito Ecclesiæ Sancti *Sebastiani* *Chymsee*, eiusque fratribus tam à præsentibus quàm futuris canonice instituendis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum conuenit adesse præsidium, ne fortè cuiuslibet temeritatis incurfus, aut eos à proposito reuocer, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Ea propter dilecti filij in Domino vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam, in qua diuino mancipati estis obsequio, sub Beati *Petri* & nostra protectione suscipimus, & præfatis scripti Priuilegio communitus. Inprimis siquidem statuentes, vt Ordo Canonicus, qui secundum Deum & Beati *Augustini* regulam in eodem loco dinoscitur institutus, perpetuis ibidè temporibus inuiolabiliter obseruetur. Præterea quascunq; possessio-

possessiones, quæcunque bona in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: *Ecksfette, Bruttingen, Ruderungen*, cum omnibus pertinentiis suis. Insulam in qua ipsa Ecclesia sita est, Villam quæ dicitur *Stumbe*, cum pertinentiis suis. Salinas in *Halle*, cum curtibus, mancipiis, & aliis pertinentiis suis. Duas curtes in *Grasauu*, cum decimis quas justè & quietè in eadem parochia possidetis. Decernimus ergò vt nulli omninò hominum liceat præfatam Ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, imminuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia & integra conseruentur., eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt vsibus omnimodis profutura. Salua sedis Apostolicæ auctoritate & Diocæsani Episcopi canonica iustitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisue persona hanc nostram constitutionis paginam infringere, vel sciens contra eam venire temptauerit, secundò tertioque commonita, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamq; se iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atq; in extremo examine districtæ ultioni subiaceat, Cunctis autem eidem loco sua iure seruantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant, Amen. Data *Laterani*, per manus *Roberti* S. R. E. presbyteri Cardinalis & Cancellarij, III. Kal. Ianuarij, Indiæ, sexta, Incarnationis Dominicæ anno M. C. L. VII. Pontificatus vero Domini *Adriani* Papæ quarti, anno quarto.



RE

CATALOGVS PRÆLATORVM
CHIEMENSIVM.

- I. **P**rimus fuit **B. HARTMANNVS**, qui ab initio Pataviæ ad **S. Nicolaum**, Canonicus erat: postea instituto ordine **Canonicorum Regularium** **Salisburgj** Anno 1121. assumptus est ibidem in **Decanum**. Deinde primum anno 1131. factus **Præpositus** & **Archidiaconus** **Chymensis**, vbi tres imperauit annos: sed hoc dignitatis gradu quoque relicto, postulat^{us} **Nouenburgj** in **Auitria** **Præpositus** efficitur, vbi cum aliquandiu commoratus esset, petitus & consecratus est in **Episcopum Brixientem**.
- II. **CHVNO**, qui sub anno 1142. electus, annos decem imperauit.
- III. **VDALRICVS** rexit annos 26.
- IV. **SIBERTVS** rexit annos 25.
- V. **ADELBERTVS** Imperio præfuit annos 25.
- VI. **CONRADVS** præfuit an. 17.
- VII. **ENGELSCALCVS** annos 14.

VIII. **HEN-**

- VIII. HENRICVS 19.
 IX. FRIDERICVS annos 23.
 X. FRIDERICVS huius nominis secundus presuit annos decem; post electus est in
Episcopum Chymensem.
Gottscaldus XI. GOTTSKALDVS annos 5.
 XII. OTTO. annos 15.
 XIII. GRIMOLDVS an. 1.
 XIV. SEVFRIDVS annos 11.
 XV. HENRICVS secundus 15.
 XVI. IACOBVSI. an. 2.
 XVII. IACOBVSI. an. 1.
 XVIII. HENRICVS tertius 7.
 XIX. CONRADVS secundus an. 7.
 XX. IOANNESI. an. 23.
 XXI. NICOLAVS an. 7.
 XXII. STEPHANVS an. 11.
 XXIII. VDALRICVS secundus, an. 33.
 XXIV. LVDOVICVS an. 1.
 XXV. VDALRICVS tertius an. 7.
 XXVI. SIGISMVNDVS an. 10.
 XXVII. IOANNES secundus an. 26.
 XXVIII. RVDBERTVS an. 24.
 XXIX. ADAMVS an. 19.
 XXX. VIRGILIVS an. 2 $\frac{1}{2}$.
 XXXI. ERASMVS an. 15.
 XXXII. IACOBVS tertius an. 2.
 XXXIII. CHRISTOPHORVS I. annos 20.
 XXXIV. ERASMVS secundus, qui primum factus est Administrator officij Archi-
 diaconalis, tandem per Commissarios in Praepositum & Archidiaconum confirmatus
 an. 1 $\frac{1}{2}$.
 XXXV. CHRISTIANVS an. 3 $\frac{1}{2}$.
 XXXVI. IOANNES tertius, qui prius fuit Canonicus Rorensis, menses tres &
 dies octo.
 XXXVII. VDALRICVS tertius, an. 1 $\frac{1}{2}$.
 XXXVIII. SEBASTIANVS I. an. 5.
 XXXIX. MARTINVS qui fuit Canonicus Rorensis, presuit an.
 XL. IOANNES IACOBVS Raiger nobilis, & suae familiae ultimus qui prius
 fuit Canonicus Baumburgensis, annos 8. & quatuor menses, postea resignavit.
 XLI. IOANNES quartus cognomine Räm, fuit prius Canonicus in Rhor. presuit
 annos 10. & menses duos.
 XLII. CASPARVS Spindler annos 3 $\frac{1}{2}$.
 XLIII. AVGVSTINVS, qui hodie praest.

CHIEMSEE MONIALIVM.

Frawenwörd.

DE fundatione huius Monasterij, ac illius progressu, vsq; ad Henricum quar-
 tum Imperatorem, nihil certiùs ac planius potest scribi, quàm prædicti
 Heinrici Imperat. confirmatio, huic Monasterio data, continet, cuius tenor de
 verbo ad verbum sequitur.

IN No-